

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 35. Quam perniciosum sit falsas rerum ideas mente concipere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

intima penetrant, qui cum Deo intus morantur, & nulla affectione foris tenentur. Hi sunt homines interiores, qui ad arcana Dei percipienda disponunt se, & eum in se loquenter audiunt. Qui verò rebus exterioribus moventur, qui libenter rumores audiunt, qui theatra avidè spectant, licet honestas fatigant vanitatis suæ causas prætexere, divisi sunt, interiores non sunt, sibi adhærent, non Deo; delicias mundi querunt, non cœli. Lumen quippe illis deest ad rerum divinarum notitiam necessarium; quia eas nunquam, vel raro & obiter meditantur, unde fit, ut de bonis æternis parum solliciti in vanitate sensu sicut ambulent, (Ephes. 4: 17.) sicut ait Apostolus, alienati à vita Dei per ignorantiam. Quod magis enim proficit homo in prudentia carius, cō magis ignorat, quæ Dei sunt: tantumque detrahitur Divino amori, quantum impenditur creaturis.

## §. XXXV.

*Quam perniciosum sit falsas rerum ideas mente concipere.*

**S**apiens est, qui suis momentis ponderat res, & aestimat pro ut sunt, non sicut praedicanter & aestimantur ab hominibus. Quælibet enim res duas velut facies habet, unam veram, alteram fucatam, & apparentem. Vera est, quæ divinis rationibus, & ideae in mente Dei existenti conformis est: altera secundum ideas, & affectus hominum, & secundum pravas amoris propriæ præscriptiones efformatur. Sic Episcopatus, ut hoc utar exemplo, secundum veram & divinam ideam, est onus Angelicis humeris formidandum, & servitus quâ tenetur Episcopus animarum saluti consulere ad præscriptum Divinarum, & Apostolicarum institutionum, strictissimam de illis rationem Deo redditurus in die judicii. In idea autem hominum Episcopatus est dignitas, ad quam qui promovetur, gradum compicuum in Ecclesia obtinet, divitias adipiscitur, & ab omnibus honoratur. Unde fit, ut, qui Episcopatum respicit secundum veram ideam, timeat, fugiat, & oblatum constanter recusat: qui vero ipsum desiderat, & omni conatu consequi nititur, falsas hominum ideas in mente habet, se ipsum querens, non Deum. Idem de aliis gradibus & dignitatibus tam Ecclesiasticis, quam mundanis dicendum est: atque hinc

oritur totius orbis omniumqne ordinum perversitas & perturbatio, quod veras rerum ideas, & definitiones plerique ignorant, & hujus mundi tenebris, ac præstigijs assueti veritatem oderunt, nec idonei sunt ad Divinum lumen recipiendum, quod non nisi mundis corde communicatur. Vocabula usurpantur heroicis Sanctorum virtutibus, Christique Sanguine consecrata; & hi quidem Episcopi, illi Sacerdotes, aut Diaconi, quidam Monachi, & Religiosi, alii Reges, & Principes, & judices populi; omnes autem Christiani nuncupantur: sed quale sit horum nominum pretium, quæ vis, & significatio, quibus virtutibus excellere debeant qui in prædictis gradibus sunt constituti, quæ singulorum idea sit, quæ leges, quæ officia, quæ definitio, nemo scit, nemo investigat; rebusque neglegētis sola remansit titulorum maiestas, & rerum umbra, ac inanis imago. Nemo se talem exhibit, qualis dicitur, nemo sequitur Christi vestigia. Hoc autem malum operatur in nobis amor sui, vitium pessimum & subtilissimum, quod vix peritissimi agnoscunt, vix sanctissimi vincunt. Bona vero & mala hujus vitæ, si veras eorum ideas respiciamus, vix ullum discriben admittunt, utraque enim vana sunt, & momentanea, & quasi nihilum computantur. Ideo David vir secundum cor Dei solam æternitatem mente versabat dicens, Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui (Psal. 76: 6.) Et Filius ejus Salomon omnium mortalium sapientissimus recensit omnibus tam bonis, quam malis hujus vitæ exclamat, & concludit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. (Eccl. 1: 2.)

## §. XXXVI.

*Tria Christiano necessaria, ut sibi attendat, ut tempus bene expedit, ut recte utatur Sacramentis.*

**F**idelitatem quam Deo debemus tria præcipue sunt necessaria. Primum est jugis attentio ad nos ipsos & ad ea, quæ operamur, cuius defectu a recto tramite aberrantes per invia & aspera proficiemus, nostramque felicitatem querimus ubi non est, & si ab alio ostendatur, non credimus. Usu rationis homo à feris, fide ab infidelibus distinguitur. Cum ergo temere, for-

I dide,

